

† **R. P. Carolus (Eugenius) Johner (1885-1946)**

(*Prov. S. Pauli*)

Die 23 mensis sancti Rosarii a. 1885 Carolus Johner in civitate Rottenburg regni Wuerttemberg natus est. Providentia Div. eum adduxit in Provinciam Bavaricam nostrae Congregationis, quae post regressum in patriam, revocatis legibus iniustis «Kulturkampf», paulatim ex ruinis surgebat. Quindecennis sodalium veteranorum genuinum spiritum Instituto addiscere poterat. In perpetuum Iesu Christo votorum professione se consecravit Garsii festo Nativitatis B. M. V. a. 1906. Die S. Patris Alfonsi 1911 ab Episcopo Ratisbonensi D. Antonio Henle indelebilem sacerdotii characterem recepit.



Mox iubetur ut cooperator parociae Garsensis in ecclesia et schola curae ordinariae animarum se dedicare. Saepius recordabatur energiae adhibitae in instructionibus dominicalibus iuvenum 12-16 annorum, qui illo tempore vi legum regni Bavariaci omnes catechesi assistebant. Catechista ad disciplinam conservandam adhibebat etiam virgam, etiamsi pueri cum poeta Virgilio gement: «Parce, pater, virgis!... Volo addiscere catechismum!» Anno 1914 P. Carolus, tunc dictus «Eugenius», in Brasiliam venit. Magna cum diligentia linguam brasilianam discebat et brevi postea laboribus in iuvenatu et in Basilica Aparecidana sese devovebat. Erat observantissimus disciplinae regularis, continuo in perfectione progredi satagens. Qua ex causa per varia triennia Magistri novitiorum munus exercuit. Rigide a novitiis virtutes illis proprias exposcebat. Gessit quoque officium Rectoris Campinae. Saepenumero verbum Dei annuntiabat tum in missionibus, tum in ecclesiis nostris. Ob egregiam scientiam theologiae moralis idoneus erat, qui hanc materiam in Seminario maiori Tieteensi doceret. Quanto zelo, data opportunitate, omnes excitaverit ad spiritum alfonsianum obtinendum, discipuli grato animo testantur.

Ob infirmitatem omnibus laboribus valedixit et domui Aparecidensi adscriptus est. Affluentia sanguinis in cerebrum facultates mentales debilitavit. Per nonnullos annos quasi inconsciis, frequenter ingemebat, vociferabatur et lacrimas fundebat. Mors nostro confratri levamen dedit die 22 mensis Decembris anni 1946. R. I. P. G. A. HECKENBLAICHNER